

multoque ante eum Waltherus putabat, Aethiopem illum fluvium Nilum esse superiorem usque ad cataractam: id enim si credidisset Aeschylus, v. 812. seq. non ἔνθα Νεῖλος, sed ἔνθα ποταμὸς ἴησι ῥέος dixisset: sed haud dubie ille alium intelligebat fluvium, qui cum Nilo conflueret. Expeditor tamen res in hac quoque itineris parte videtur, si ab occidente Libyae venisse Io statuitur. Nam et Aethiopes illa regione sunt, et fluvius ibi est, Aethiopes a ceteris populis distermians, quem Nigrim vocant geographi. De eo fluvio quum scribat Solinus cap. 25. *ultraque adhuc amnis qui atro colore exit per intimas et exustas solitudines, quae torrente perpetuo sole et nimio plus quam ignito numquam ab aestu vindicantur*, vehementer reprehensus est a Salmasio p. 215. b. quod ista male intellecto Plinio confinxerit: non iniuria fortasse, sed tamen non incredibile est talia propter locorum naturam a quibusdam esse excogitata, mireque conspirat hoc nomen *Αἰθίοψ* cum illa opinione, si quidem aliquid de isto Nigri inaudivit Aeschylus. Fons solis autem, qui est ad Ammonis oraculum, de quo videndi Diodorus Siculus XVII. 50. Pomponius Mela I. 8. interpretes ad Q. Curtii librum IV. 7, 22. una cum catabathmo ex septemtrionali Africa sumptus est. Est is catabathmus maior, quem solum ante Augusti tempora eo nomine dictum esse docuit Waltherus in dissertatione quam de eo scripsit. Eum significationis similitudine deceptus poeta confudit cum cataracta Nili. Qua culpa eum sic liberare studuit Waltherus, ut cataractam ab eo *καταβασμόν* appellatum esse contenderet. At eo ipso arguitur facta confusio. Montes Byblini illa in regione non sunt ab aliis memorati: sed Byblus, oppidum munitissimum, fuit in Aegypto. Ctesias Pers. cap. 33. *φεύγει δὲ πρὸς τὴν Βύβλον Ἰναρος· πόλις ἰσχυρὰ ἐν Αἰγύπτῳ αὕτη*. Stephanus *ἔστι καὶ Βύβλος ἐν τῷ Νείλῳ, πόλις ἀσφαλεστάτη*. Et quum edito in loco exstructa urbs ab ipso situ multum praesidii habeat, facile credi potest montes aliquos Byblinos aut fuisse aut ab Aeschylo esse fictos: nisi tamen ille famam longe alio spectantem immiscuit. Nam Athenaeus I. p. 31. ubi de vino Biblino disserit, de quo aliae aliorum opiniones fuerunt, commemoratae illae a Mazochio ad tabulas Heracleenses p. 200. seqq. cui addendus est Blomfieldius ad Prom. v. 836. sic scribit, *Ἐπίχαρμος δὲ ἀπὸ τινῶν ὀρῶν Βιβλίνων φησὶν αὐτὸν ὠνομάσθαι*. Id paullo disertius tradit Hesychius, cuius codex in v. *Βίμβλιμος* haec habet, *Ἐπίχαρμος δὲ ἀπὸ ῥοιῶν Βιμβλίνων. ἔστι δὲ Θράκης*. Emendate edidit Bekkerus in Aneidotis p. 225, 31. *Βίβλιμος. εἶδος οἴνου καὶ γένος ἀμπέλου ἐν Θράκη. καὶ ὁ πάλαιος οἶνος. Ἐπίχαρμος δὲ ἀπὸ ὀρῶν Βιβλίνων. ἔστι δὲ Θράκης*. Sed ibi quoque ῥοιῶν in codice est.